

Petrus de Vinea

*Ep. III 44 (Questionis
arduae petita responsio...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 44 (Questionis
arduae petita responsio...)*

1231-1239

Magister Petrus de Vineis extollit nomen imperatoris cum magnis preconiiis.

1. Questionis arduae petita responsio, in quantum respondenti permittitur, enodatur. 2. Grandis namque progressus materiae, infinitis terminandae limitibus, rancoris propinat indicia et ex telae diffusae contextu, quae de preconio summi Caesaris hostes cedentis orditur, ne quid de contingentibus omittatur, manus scribentis tremescit et stupet. 3. Quis enim posset amplo fame prepotens tanti principis insignia promere, in cuius pectus confluunt quicquid uirtutes habent, quem nubes pluerunt iustum et super eum celi desuper rorauerunt? 4. Non Plato, non Tullius, non filii tenebrarum, qui ex ore sedentis in throno in generatione sua prudentiores lucis filiis nuncupantur, hunc siquidem quippe terra, pontus adorant et ethera satis aplaudunt, utpote qui mundo uerus imperator a diuino prouisus culmine, pacis amicus, charitatis patronus, iuris conditor, iustitiae conseruator, potentiae filius mundum perpetua ratione gubernat. 5. Hic est, de quo Ezechielis uerba proclamant: «Aquila grandis magnarum alarum, longo ductu membrorum, plena plumis et uarietate». 6. Hic est, de quo loquitur Ieremias «Replebo te hominibus quasi bruco et super te celeuma cantabitur». 7. Talis ergo presidio principis totus protectus mundus exultet; talem namque totus orbis uocabat in dominum, talem requirebat iustitia defensorem, qui in potentia strenuus, in strenuitate preclarus, in claritate benignus, in benignitate sapiens, in sapientia prouidus, in prouidentia foret humanus. 8. In eo denique insita forma boni, tamquam liuore carens, et elementa ligat et elementata coniungit, ut flammis conueniant frigora, iungantur arida liquidis, planis

associantur aspera et directis inuia maritentur. 9. Sub eius namque temporibus destruuntur fomenta malitiae, uirtus securitatis inseritur, itaque gladii conflantur in uomeres. 10. Pacis federe suffocante timorem et, eius metus instinctu, quicquid libertas negligit et licentia inmoderata presumit, uictoriae censura castigat. 11. O miranda diuina clementia, fastum compescere prompta, perituro mundo de tam mundo principe prouidisti tam utiliter quam consulte, qui, ex omni parte beatus, strenuus in toto, cuiuslibet turbationis pacator iustissimus, sine cura populi solus esse nesciret, quem supremi manus Opificis formauit in hominem, ut rerum habenas flecteret et cuncta sub iuris ordine limitaret! 12. O utinam diuina prouisio, per apheresim dierum nostrorum numerum resecans et Cesareae manui fulcimenta contribuens et annos Augusti regnantis augeres! 13. O naturae felicitas, quanti priuilegii prerogatiua principem ditasti felicem, concedens aliis quod deficit in te ipsa! 14. Hunc trames rationis antistitem, hunc exigebat iustitia defensorem, qui, congruam seruans utrobique temperiem, cupiditatis conatus infringeret, ut eius morsus illicitos refrenaret. 15. Cui iam uirtutum incipiunt inuidere misteria; ea uidelicet inuidiae specie, quae non ardore liuoris emulantis destruit animum, sed in suauitatis odorem flatibus incitat charitatis. 16. Viuat igitur, uiuat sancti Friderici nomen in populo, succrescat in ipso feruor deuotionis a subditis et fidei meritum mater ipsa fidelitas in exemplum subiectionis inflammet!